



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 59. Explicatur Regula S. Francisci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIV. Papæ litteris datis 1 Apr. 1311, & in
A. G. 1312. scriptis Rainerio Cremonensi Episcopo;
 quem is jubet adire loca, & infectari
 hos hæreticos sine respectu status homi-
 num aut ullius privilegii. Hæc dicebat
 ideo, quia inter eos Clerici dabantur ac
Sup. §. 23. Religiosi. Erant discipuli Segarellæ ac
 Dulcini, similiumque fanaticorum, quo-
 rum doctrina fuit consecutio Evange-
 lii æterni.

§. LIX.

Explicatur regula S. Francisci.

*Exivi de Pa-
 rad. Clem. de
 Verb. sign.
 Vading.
 1312. n. 3.
 Baluz. vit.
 to. I. p. 77.*

Papa volebat etiam Fratres Minores
 rursus conjungere, ac eximere scrupulos
 iis, qui conquerebantur corpus Or-
 dinis haud observare fideliter regulam
 S. Francisci. Quapropter suscipi edidit
 sanctionem, cujus præcipua capita hic
 sequuntur. Fratres Minores per profes-
 sionem suam non magis quam Christiani
 reliqui adstringuntur ad observationem
 totius Evangelii: & Papa sigillatim de-
 signat regulæ verba vim præcepti ha-
 bentia. Fratres Minores neutiquam cu-
 rent bona temporalia, quæ tirones ipsorum
 antea possederunt. Tunicas plures non ge-
 rant sine necessitate: ac Præsidum est
 pro ratione locorum calceamenta par-
 vumque panni pretium statuere. Ser-
 vent

vent jejunia ecclesiastica non expressa Sæcul. XIV.
 in regula. Pecuniam nec mendicando A C. 1312.
 colligant, nec alio modo accipiant: sti-
 pis receptrices arculas in templis non
 ponant suis: pecuniæ causa spirituales
 amicos suos non adeant exceptis casibus,
 quos regula continet aut declaratio
 Nicolai III. Hæreditatibus capien- Sup. lib. 87.
 dis sunt impares. Non percipiant pro- §. 33.
 ventus annuos: cum Advocatis vel Pro-
 curatoribus suis non compareant in cu-
 riis: nec voluntates ultimas exequantur. c. 3. de Verb.
 Non habeant hortos nimios, aut vineas, sign. in 6to.
 cellas, & horrea pro reponendo victu
 precario; nec templa magnifica vel cu-
 riose ornata, nec vestitus altarium pre-
 tiosos. Denique contenti sint modico
 usu rerum necessariorum, prout præscri-
 bit regula.

Hæc sanctio fuit approbata in senatu
 secretiore 5 Maji, & promulgata die
 postero in tertia & postrema Concilii ses-
 sione. Tum Papa Præsides Ordinis præ-
 sentes monuit, ut regulam secundum
 hanc declarationem coli curarent, & Fra-
 tres duobus abhinc annis jurisdictione
 sua exemptos benigne haberent, præfice-
 rentque muneribus sine discrimine sicut
 reliquos. Etiam his Spiritualibus, qua-
 les se dicebant, imperabat, ut mox Præ-
 positis

Sæcul. XIV. **A.C. 1312.** positis se suis submitterent rursus, atque cum cæteris in concordia & pace viverent. At Ubertinus Casalius ad Papæ genua provolutus clamabat, dicebatque se jussu ipsius delatum ad Romanam curiam, & ibi multa perpeffum metuere, ne pejus tractaretur, si traderetur Prepositis. Orare proin, ut sibi ac suis liceret separatim extra eorum jurisdictionem vivere regulæ secundum Concilii declarationem facilius observandæ gratia. Renuit Papa, & Ordinem divisum noluit. Parebant multi: multi vero se disjungebant variis in provinciis, maxime in Narbonensi agro; ubi primas tulerent, ita, ut cæteros Narbone ac Bli-tera pellerent ope populi, a quo nuncupabantur Spirituales. Ita Clementis V sanctio Fratrum Minorum schisma non finit.

S. LX.

Alia Viennensis Concilii sanctiones.

Clem. V. de Regul.

Concilium Viennense multa alia decreta fecit Religiosos contingentia. Fratribus Mendicantibus ad Ordines alios transeuntibus adimit jus suffragii ferendi in comitiis, eosque prioratibus, aliisque